Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1273
Quelle:
Copyright:

Dum in mundo fuerat, se deduxit ita,
Quod verba, que protulit, fuerunt perita.

Interfuit hic per somnium dialogo *Spiritus* et *Corporis* Hominis recens defuncti mutuo sibi interitum exprobantium:

Juxta corpus spiritus stetit et plorauit,
Et his verbis acriter carnem increpauit:
O caro miserrima! quis te sic prostrauit &c.

Caro culpam damnationis multis in Spiritum regerit, donec a malis geniis adparentibus simul abripiuntur, et Poetae otium faciunt piis meditationibus indulgendi. *Strophae* sunt LXXIX. quarum quaedam numerum τετρασεοφων excedunt. Inter *Fulberti Carnotensis* Opera *Paris.* 1608. 8. ejusmodi *Rhythmos* invenio, alios memorat *Labbei Bibl. nova Mss.* p. 58. vix tamen ausim nostros eidem tribuere.

XI. *fol.* 92. absque inscriptione Pars III. *Regulae Pastoralis Gregorii M.* quae incipit: *Quia igitur qualis esse debeat pastor ostendimus* &c. et finit: *tui meriti manus leuet.* Habetur edit. *Maur. Paris.* T. II. 1705. *col.* 33. f. et hic etiam integra, sed errore Compactoris intercepta, ut videbis *foll.* 202. et 231.

XII. *fol.* 128. p. 2. Responsum ad Quaestionem: *Vtrum et quomodo intelligendum sit, quod in persona domini nostri ihesu christi est verus deus et homo, et deus ubique est, et tamen humanitas christi vbique non est, sed in certis et determinatis locis* &c. Cui statim adhaeret *Formula chemicae* cujusdam *Operationis.*

XIII. *fol.* 131. *Computus* Ecclesiasticus sine autoris nomine, qui est *Johannes Halifax de sacro Bosco s. Busto* Sec. XIII. notissimus suo *de Sphaera* opusculo *Anglus.* Initium: *Computus est scientia considerans tempora ex solis et lune motibus* &c. In Exemplaribus saepenumero typo procusis habentur *figurae*, quibus *Codex* noster caret, qui, ut impressa, in versus definit:

M christi bis CC quarto deno quater anno.
De sacro Busto discernit tempora Ramus.
Gratia cui nomen dederat diuina Johannes.
Annuat hec nobis huius sic carpere fructum.
Ecclesie christi quo nos hinc fructificemus.

Annumne 1256. an 1244. designare voluerit Poeta, dubium est. De variis *Computuum* seu Adminiculorum ad ordinandum *Kalendarium* Autoribus vide *Fabricii Bibl. med. et inf. Lat.* v. *Computus.*